



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Sancti Florentii Salmuriensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

pontificatus nostri anno sextodecimo.

*ABBATI SANCTI FLORENTII
Salmuriensis.**Epist. 64.
De primatia
Bituricensi.
Vide epist. 1077.*

Constitutus in presentia nostra venerabilis frater noster Burdegalensis Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit quatinus cum venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus in provincia sua jus primatiæ ad se asserat pertinere, super hoc causam inter eos committere dignaremur. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus duobus viris providis & honestis, quorum unus a parte una, reliquus verò ab altera tibi presentetur, assumptis, causam super hoc audias cum eisdem, & usque ad diffinitivæ sententiæ calculum procedens in ipsa, eandem ad nos remittas sufficienter instructam, præfixo partibus termino competenti quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent justam auctore Domino sententiam recepturæ. Tu denique fili Abbas &c. Datum Laterani VI. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

*EPISCOPIS PER
Burdegalensem provinciam constitutis.**Epist. 65.
De eadem re.
Vide lib. 15
epist. 47. 130.*

Um olim venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus auctoritate primatiæ quam in provincia vestra sibi asserit pertinere venerabilem fratrem nostrum Burdegalensem Archiepiscopum a metropoliticiæ dignitatis officio suspendisset pro eo quòd ad suum vocatus Concilium accedere non curavit nec pro se aliquem responsalem idoneum destinare, ac super hujusmodi suspensionis sententia fuisset inter eundem Bituricensem & dilectum filium magistrum Amaneum procuratorem ipsius Burdegalensis Archiepiscopi coram nobis diutius disputatum, tandem de fratrum nostrorum consilio sententiam ipsam ratam habuimus & usque ad satisfactionem idoneam præcepimus observari; hoc ad cautelam expresso, quòd lis coram nobis, non de primatia, sed de sententia, extitit ventilata. Postmodum verò credentes ad satisfactionem sufficere competentem, pro prædicta sententia relaxanda, ut memoratus Burdegalensis Archiepiscopus per se ipsum aut alium virum idoneum ad presentiam dicti Bituricensis accederet, relaxationem ejusdem sententiæ humiliter petiturus, & promissurus firmiter sub suarum, si necesse foret, testimonio litterarum quòd ad ejus Concilium vocatus accede-

ret, facturus quod foret faciendum de jure, per litteras nostras ipsi Bituricensi dedisse meminimus in præceptis ut cum a Burdegalensi prædicto foret taliter requisitus, prædictam non differret sententiam relaxare; nullam pœnam inflicturus eidem, si fortè dictam sententiam non servarat, antequam per nos declaratum fuisset an esset eadem observanda; venerabili fratri nostro Turonensi Archiepiscopo & judicibus suis per scripta nostra mandantes ut Bituricensi jamdicto in mandati nostri executione cessante, ipsi sæpeditam sententiam relaxarent absque præjudicio juris sui. Nuper autem idem Burdegalensis Archiepiscopus ad nostram presentiam accedens proposuit coram nobis quòd de hujusmodi confirmatione sententiæ nihil unquam per litteras ipsius Bituricensis aut nuntium sibi fuerat intimatum. Propter quod ipsam petit a nobis humiliter relaxari. Nos igitur volentes utrique paternæ sollicitudine providere, sententiam relaxamus memoratam, firmam promissionem recipientes a Burdegalensi prædicto quòd vocatus accederet ad ipsius Bituricensis Concilium, facturus quod de jure fuerit faciendum. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VI. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*ABBATI DE MELLIO
Patarensis diocesis & Præposito sanctæ
crucis Augustensis.*

Blata nobis ex parte venerabilis fratris nostri Salzeburgensis Archiepiscopi petitio continebat quòd infra fines parrochiæ suæ in insula quæ Chiemense vocatur duo sunt monasteria constituta quorum unum moniales inhabitant, aliud verò Canonici regulares. Verùm moniales abjecto penè penitus jugo modestiæ regularis, sine fræno pudoris & verecundiæ obice evagantur per campos licentiæ dissolutæ, ac sic se motibus exposuere carnalibus quòd locus in quo habitant dici potest lupanar potius quàm oratorium ab effectu. Dicitur autem Archiepiscopus ad expurgandam tantam labem volens extendere manus suas, ut eadem moniales divise per alia religiosa cœnobita fortè proficiant, quæ in suo collegio merito deficiunt & exemplo, mutuo contagio corruptelæ, proposuit quòd ipsis per alia loca, in quibus religio floreat, collocatis, cathedram ibi pontificalem instituat, & bonis ipsius monasterij cum possessionibus quas ipse pro-

*Epist. 66.
De institutio-
ne episcopatus
in insula Chie-
mense.
Vide tom. 2. de
prop. Saliz/107.
pag. 231. 232.*